



# LECTORI.



*Jurisprudentiæ Romanæ, &*  
*Atticæ, quam celeberrimus*  
**JOANNES GOTT-**  
**LIEBIUS HEINEC-**  
**CIUS** congeffit, ac Lugduni Batavorum anno  
**MDCCXXXVIII.** edidit, Tomus I. præ  
se fert, quod **FRANCISCI BALDUI-**  
**NI** opuscula omnia complectatur. Quo jure  
Epigraphæ hæc superbire liceat, me hercule non



## PRÆFATIO.

*cipio. Sive velatum ad omnia BALDUINI opera in genere, ut ajunt, extendi velit, sive ad juridica in specie restringi malit, ostentatio usque audentior est, quàm ut sinceriori queat subterfugere calamo. Juridica quod attinet, quivis mecum facillè reperiet, in Heineccianâ compilatione deficere Consilium de nova Juris Civilis demonstratione, quod à perillustri Domino DE JANUARIO (\*) nuper laudatum, & jam à nobis suppletum est, deficere ad Leges de transfugis desertoribus, & emansoribus epistolas quasdam pro commentariis, (\*\*\*) quibus inter juridica locum HEINECCIUS denegare non debebat, cum commentario ad Leges de famosis libellis, & de calumniatoribus (\*\*\*) assignaret, deficere Responsionem Christianorum Jureconsultorum ad FRANCISCI DUARENENI*

---

(\*) In Republicâ Jurisconsultorum p. m. 81. *Quâ de cassâ FOPPENS in Bibliotheca Belgica ejus haud meminert, me latet.*

(\*\*) *Has FOPPENS pariter non recensuit.*

(\*\*\*) vid. *Jurisprudentiæ Romanæ, & Atticæ Tom. I. p. 1428.*



P R Æ F A T I O.

*RENI* Commentarios de ministeriis Ecclesiæ, atque beneficiis (\*) quæ pariter majore jure, ac titulo juridicis annumerari valet, quàm Oratio de Legatione Poloniâ ab HEINECCIO (\*\*) annexa, deficere Commentarium in septem gravissimos Juris Civilis titulos ex septem pandectarum tomis delectos, nec non tractatum de hæreticorum coercitione, quos inter Balduiniana recensere LUDEWIGIO (\*\*\*) placuit, mihi verò in hunc usque diem conspicerè haud contigit, ac

---

(\*) FOPPENS in Bibliothecâ Belgicâ Tom. I. p. 248. scribit. „ Legitur & Francisci Balduini nomine Argentinæ editus libellus, titulo Christianorum Jurisconsultorum contra Duarenum, sed supposititio, uti in Apologiis ipse affirmat. In alias partes eunt, ac BALDUINO relatum supra opusculum attribuunt HARREUS in Annali. Ducum, seu Principum Brabantiæ Tom. III. p. 25. LUDEWIGIUS in vita Balduini p. m. XXXVI. & HEINECCIUS in saepe dictâ Præfatione p. XI. quibus ego eò lubentius accedo, quò apertius ipse partus suum genitorem demonstrat.

(\*\*) Jurisprud. Roman. & Attic. Tom. I. p. 1638.

(\*\*\*) In vitâ Balduini Catechesi juris præmissâ p. m. XXXIV. & XXXVI.



P R Æ F A T I O.

*ac demum deficere Commentarios in Libros quatuor Institutionum Juris Civilis, opus, quo amplius, vastiusque BALDUINUS non absolvit. Quoad omnia opuscula in genere desiderantur adhuc longe plura, syllabatim:*

Prolegomena in Minucii Felicis Octavium. (\*)

Responsio ad Calvinum, & Bezam cum refutatione calumniarum de scripturâ, & traditione.

Responsio altera ad Joannem Calvinum (\*\*)

Respon-

---

(\*) *vid. HEINECCIUS in Præfat. ad Jurispr. Roman. & Attic. Tom. I. p. XIV. & FOPPENS in Biblioth. Belgic. Tom. I. p. 284.*

(\*\*) *Noverint jam tum eruditi omnes, ambas has Responsiones sub titulo: Francisci Balduini J. C. Biga Responsionum ad Calvinum, & Bezam anno priore denuo editas esse.*



P R Æ F A T I O.

Responsio ad Bezam ex Francisci  
Balduini Commentariis rerum Eccle-  
siasticarum. (\*)

Discours sur le fait de la reforma-  
tion de l'Eglise par Francois Balduin  
Jurisconsulte, & par luy envoye à  
un grand Seigneur de France. (\*\*)

Avis

---

(\*) *Codex, quem inspiciendi, describendaque facultas mihi humanissimè data est, non aliâ inscriptione gaudet, quam: Ex Francisci Balduini Commentariis rerum Ecclesiasticarum: Compactus est quidem Responsioni ad Calvinum, & Bezam, quæ Colonia apud WERNERUM RICHWINUM anno 1564. prodiit. Insuperque Philyrarum, seu plangularum literæ, sive characteres, quos Typographi adjungere, seu cuius Philyræ in calce apponere consuescunt, omnino coherent, Responsionis ultima plangula in literam Q. desinit, & sequens opusculum, seu prima ejus plangula à literâ Q. 2. incipit. Characterum verò forma, sive figura toto celo differt, ac mutilus paginarum, sive foliorum ordo est: Primus namque libellus in paginam 152. desinit, alterque à paginâ 134. incipit. Haud pronunciabo igitur, sed dicam: Non liquet.*

(\*\*) *Prodiit Parisiis anno 1564. 8vo. sed inscio BALDUINO, ut mox sequetur.*



P R Æ F A T I O.

Avis sur le fait de la reformation de l'Eglise avec reponce à un prædicant calomniateur. (\*)

Discours en forme d'avis sur le fait du trouble apparent pour le fait de la Religion. (\*\*)

Historia Carthaginensis Collationis, sive Disputationis de Ecclesiâ olim habitæ inter Catholicos, & Donatistas. (\*\*\*)

Deli-

---

(\*) Cum BALDUINUS persentisceret, prædictum discursum, quem ad instantiam Principis Condæi lucubravit, minus fideliter editum, sed ab alienâ, indoctâ, inimicâ, spurriâ, apostatâque manu mutilatum, plurâque immixta, atque interpolata fuisse; illi, quo illatam sibi injuriam vindicaret, hunc veluti opposuit libellum, qui tamen referente FOPPENS cit. loc. non nisi anno 1578. 16. Parisiis apud NIC. CHESNEAU prodit. Posthumum itaque opus est, siquidem BALDUINUM anno 1572. fati cessisse historia narrat.

(\*\*) Extat in PETITI Grande Chronique ancienne, & moderne de Hollande Tom. II. Lib. 9. pag. 76.

(\*\*\*) Curâ nostrâ anno 1763. iterum recusa.



## PRÆFATIO.

Delibatio Africanæ Historiæ Ecclesiasticæ, sive Optati Milevitani Libri VII. ad Parmenianum de Schismate Donatistarum, & Victoris Uticensis Libri III. de Persecutione Vandalicâ in Africâ, cum annotationibus ex Fr. Balduini J. C. Commentariis Rerum Ecclesiasticarum. (\*)

Pane-

---

(\*) *Est altera OPTATI editio ab ipso BALDUINO recognita, & Parisiis anno MDLXIX. recusa, cum Epistolâ nuncupatoriâ ad CASPARUM BARCHINUM J. C. & causarum criminalium judicem Mediolanensem, quam à celeberrimo DUPIN in sanct. Optat. omissam miramur. Primam OPTATI editionem anno MDLXIII. curatam fuisse, facile colligere possumus, si hæc BALDUINI in Præfatione ad Lectorem Delibationi Africanæ Historiæ præmissa verba legimus: Quam autem priori Optati editioni ante sex annos præfixeram prolixam præfationem non de Optato modò, sed & de multis aliis capitibus rerum Ecclesiasticarum, de quibus ut tunc agerem, cogebat me conditio ejus contentionis, ad quam vel invitus pertractus eram, & acerrimi adversarii, cum quo mihi res erat, refellendi quædam necessitas, eam (inquam) vehementiorem præfationem, in hac editione nolui inculcari: quàm satis superque est, editam suo tempore semel fuisse.*



# PRÆFATIO.

Panegyrique sur le mariage du  
Roy. (\*)

Histo-

fuisse. Lutetiæ Parisiorum Idib. Martii 1569. Prior itaque posteriorum annis sex, & Historiam Carthaginensis Collationis, quippe quæ Parisiis anno MDLXVI. prima prodiit, tribus tantummodo annis præcessit. Hallucinatur proinde HEINECCIUS in memoratâ Præfatione p. XXII. dum primam OPTATI editionem cum Historiâ Carthaginensis Collationis confundit, seu unum, idemque opus esse venditat: præcipuè cum non modò ipse OPTATUS MILEVITANUS Historiæ Carthaginensis Collationis haud adjectus reperiatur, verum etiam prima OPTATI editioni Epistolam nuncupatoriam ad JOANNEM LENTALLERIUM Antistitem Aquiscincentensem unâ cum Epistola ad JOANNEM LUCANUM, sive CALVINUM, Historiæ Carthaginensis Collationis contra Epistolam nuncupatoriam ad JOANNEM TILIUM, Episcopum Meldensem, ac Præfationem ad Lectorem præfixam constet. Cæterum non inficiabor, Historiam Carthaginensis Collationis paululum emendatam Delibationi Africanæ Historiæ post additam esse.

(\*) Opusculum hocce, quod Dominum FOPPENS fugit, seu panegyricam Orationem anno MDLXXI. quo CAROLUS IX. Gallie Rex ELISABETHAM Austriacam conjugem priore anno lectam magno cum apparatu domum ducebat, habitam, eodemque anno Andegavis 4t. editam testatur HEINECCIUS in sepe dictâ Præfatione p. XXXIII.



P R Æ F A T I O.

Historia Regum, & Principum Po-  
loniæ. (\*)

Antiquitates Ecclesiasticæ. (\*\*)

*Haud dicam jam de reliquis, quæ adhuc à non-  
nullis addi solent, nimirum*

Chronicon Arthesiæ, & Notæ ad  
Consuetudines Arthesienses. (\*\*\*)

Famosa supplica Margaritæ Ducis-  
sæ Parmensi à Nobilibus Belgii ob-  
lata. (\*\*\*\*)

Nec

---

(\*) *Teste FOPPENS ex Latino JOANNIS HER-  
BUTI DE FULSTIN Parisiis 1573 4t. Gallicè  
edita.*

(\*\*) *à LUDEWIGIO in vitâ Balduini p. m.  
XXXVI. quidem recensæ, à nobis verò hætenus  
non visæ.*

(\*\*\*) *vid. FOPPENS cit. loc.*

(\*\*\*\*) *Allegatus FOPPENS cit. loc. inquit: Addi  
meretur famosa supplica, quam die 3. Aprilis  
1566. Nobiles Belgæ 300. Margaritæ Ducissæ  
Parmensi Bruxellis obtulerunt pro obtinendo  
novellæ Religionis libero exercitio: quâ etiam  
occasione famosum Guesiorum nomen eis hæsit.  
Habuit hæc supplica authorem Balduinum.  
Vereor ego, ne FOPPENS heic pessimè aberret, at-  
que in historiam turpissimè impingat. Supplicem  
namque*



## PRÆFATIO.

*Nec tangam Manuscripta hæcenus excusa, quæ ab eruditis assignantur, omnibusque votis exposcuntur, inter cætera*

Historia Andegavenfis, Genealogiæ Ducum Andium, & memoriæ illustrium aliquot Familiarum Franciæ. (\*)

De magnitudine, & excellentiâ Ducum Andegavensium. (\*\*)

Theo-

---

*namque libellum Gubernatrici ab Henrico de Bredenrode, ore omnium verba faciente traditum non tertio, sed nonis, sive quinto Aprilis exhibitum fuisse, testes sunt PETIUS dans la grande Chronique Tom. II. p. 103. EREMUNDUS FRISIUS in Origine, & Historiâ Belgic. Tumult. p. m. 87. HARRÆUS in Annal. Tom. III. p. 41. PONTANUS in Histor. Gelric. Lib. XIV. p. m. 888. STRADA de Bello Belgic. Lib. IV. p. m. 126. Neque etiam supplicatio, quam præallegati Historiographi PETIUS Gallicè, & EREMUNDUS FRISIUS latinè exhibent, talis, atque ita scripta est, ut & famosa renunciari queat, & BALDUINUM requirat autorem. Quo igitur jure, quave auctoritate FOPPENS causam suam defendere velit, ipse viderit.*

(\*) FOPPENS cit. loc.

(\*\*) GUNDLINGIANA V. Stück II. Abhandlung §. 43. p. 486.



P R Æ F A T I O.

Theodosius. (\*)

Quocirca existente etiam, quam eruditus orbis  
HEINECCIO acceptam refert, Jurisprudentiâ  
Romanâ, & Atticâ nos Literariæ Reipublicæ  
haud supervacuum obsequium præstituros esse cre-  
dimus, si uberiolem Balduinianorum Collectio-

C 2

nem

(\*) De eo mihi cum Antecessore meo colendissimo  
FRANCISCO ALEF, cujus pro dolor! Ma-  
nes jam piissimè revereor, amica quondam fuit  
disceptatio. In ultimâ, quæ mortem haud multum  
præcessit, epistolâ ex BALDUINI Justiniano  
adstruere contendebat Vir doctissimus, Theodosium  
pariter editum esse. Verùm idem BALDUINUS,  
qui in Justiniano anno 1560. edito dixerat de  
CONSTANTINO, & THEODOSIO alias  
dictum esse, in Epistolâ nuncupatoriâ ad BARCHI-  
NUM Delibationi Africanæ Historiæ anno 1569.  
editæ præmissa spondet, quòd novam Constantini  
in Germaniâ infeliciter, & mendosè, & mutilatè  
ante annos duodecim excusit editionem parare, ac  
cum Constantino Theodosium conjungere institue-  
rit. Unde sponte consequitur, quòd, uti altera Con-  
stantini ab ipso BALDUINO recogniti, & emen-  
dati editio in hanc diem lucem non aspexerit, ita à  
GUNDLINGIO in Præfatione ad Balduini Con-  
stantinum Magnum pag. 12. jure pronuncietur,  
Theodosium in scriniis fortè cubare illorum, qui  
scriptis præclaris veluti Dracones incubant, sibi que  
placent, quod MS, quæ ipsimet vix intelligunt,  
habeant, ceteri non habeant.



## PRÆFATIO.

nem paremus, illique usque aded ea, quæ Heinemannianæ jam tum compilationi insunt, iterum inseramus. Fidem nostram auget, firmiorémque reddit, tum, quod, sicuti Jurisprudentia Romana, & Attica ex tribus Tomis consistit, ac præter Balduiniana varios adhuc Commentatores, nimirum *BARTHOLOMÆI CHESII* Interpretationum Juris Libros II. & de differentiis Juris Librum singularem, *GUIDI PANCIROLI* Thesaurum variarum lectionum utriusque Juris in III. Libros distinctum, nec non *SAMUELIS PETITII* Leges Atticas continet, ita unum ab altero haud segregandum, sed vel omnia quandoque præter, quandoque contra voluntatem simul comparanda, vel singulis carendum sit. Tum quod præfata Jurisprudentia, quam viginti, & octo Imperialibus Rhenanis coëmere habui, paulò carior sit, quàm ut à quolibet Balduinianorum æstimatore acquiri valeat. Accedit insuper, quod præsens Collectio non tantùm vocabula, textusque græcos latinè reddat, verùm etiam pluribus Asteriscis, Notisque nostris distescat, prout primus jam comprobat Tomus, quem ut benevole Lector æqui, bonique consulas, ac cæteros benignè expectes, enixè rogamus.

Sic cæptum perficiemus iter.

FRAN-